

DISPUTATIO SEXTA. DE ROMANI PONTIFICIS

Super Concilia Generalia præstantia auctoritatis, potestatis atque jurisdictionis.

PRÆLECTIO I.

*Præstare Romanos Pontifices Conciliis generalibus
auctoritatis, potestatis & jurisdictionis,
multis ostenditur.*

Post agitam per dies multos celeberrimam Controversiam, de Romani Pontificis, in judicandis fidei causis, asphalia, seu ut schola loquitur, infallibilitate, & indeficientia; Altera proxime sequitur, quæ de eisdem R. Pontificis, super Concilia generalia, præstantia auctoritatis ac potestatis, solet a Jurisperitis, & Theologis agitari.

Hanc ut agitare officii nostri credimus esse, ita illam ipsam in bona lumine ponere, plenissimeque exponere, convenit; quidve proprie in quaestionem veniat, explicare necesse est; ne, quod sæpe fit, perperam atque præpostere controversiæ status accipiar. Intendat igitur animos, dicentique faveat, studiosa Juventus.

Concilium generale bifariam accipi potest. Primo quidem ut Episcopos complectitur universos in cœtum vocatos, simulque Romanum Pontificem, qui iisdem præest, seu per sese, seu per Legatos suos. Atque hoc sensu, eaque amplitudine accepto Concilio, perstatum esset inquirere, sit ne R. Pontifex Concilio generali superior? Idem quippe esset atque inquirere, sit ne R. Pontifex superior R. Pontifice? Cum & sic Concilium generale R. quoque Pontificem complectatur. Imo cum totum majus sit parte sua; sitque R. Pontifex, Concilii generalis hoc sensu accepti, & intellecti pars, tamen principalis, & capitalis; necesse profecto est Concilium generale eo sensu acceptum & intellectum, majus aliquid esse; atque ita potestate & auctoritate præstantius Pontifice solo, ac seorsim accepto. Maxime vero cum repugnet Episcopos universos R. Pontifici adjuntos, R. Pontifici nihil addere, nihil adjungere. Hoc itaque sensu accepto Concilio, non movetur in præsens controversia. Secundo, Concilium generale accipi potest, ut solos complectitur universos Episcopos in cœtum vocatos, Pontifice ipso, qui iis præest, non intellecto & computato. Uti profecto dum dicimus, hunc vel illum Rom. Pontificem huic vel illi Concilio Ecumenico præfuisse, E. G. Sylvestrum Nicæno I. id solum intelligimus, præfuisse illum Episcopis trecentis decem & octo in eum cœtum vocatis, Pontifice non intellecto nec computato; cum plane pugnet sibi metipsum præfuisse Pontificem, dum aliis Episcopis præest.

Atque ille ipse germanus est sensus, quo præsens agitur Controversia de R. Pontificis supra Concilium Ecumenicum eminentia. Nempe illud queritur, num ex quo convenerunt in Concilium Episcopi universi, simulque ad ferendum judicium sedent, præside Romano Pontifice, seu per sese, seu per legatos suos, major sit eorum omnium Episcoporum auctoritas, jurisdictionis, judicandi potestas, quam Romani Pontificis, qui

præsit illis & caput est? Adeo ut conspirantibus in Sententiam aliquam Episcopis universis, Romano vero Pontifice in contrariam abeunte, & oppositum servatis aliunde debitis formulis definiente, standum nobis esset Episcoporum Sententiæ potius, quam Romani Pontificis; aut e contrario R. Pontificis judicium amplectendum esset potius quam Episcoporum? Quo sensu quaestionis explicato, ita pronuncio, Romanum Pontifex Concilio Ecumenico præstat, eisdemque auctoritate, jurisdictione, judicandi definiendique potestate superior est.

Probant id aliqui ex eo quod Romanus Pontifex convocet jure primatus sui Concilia generalia, iisque præsit seu per sese, seu per Legatos suos.

Quam futilis, quam elumbis probatio illa sit, ex eo præsertim ostenditur, quod ut cœtum aliquem convocare quis possit, satis abunde sit, si in singula illius membra, seorsim ac seorsim accepta, supremam auctoritatem exerceat. Ex hoc enim solo singulis membris præcipere potest, ut in cœtum conveniant: non est tamen omnino necesse ut supra cœtum integrum, ubi semel coactus est, supremam habeat potestatem. Non abfinititer, ut cœtus præesse quis possit, satis est, si primum in cœtu teneat honoris & dignitatis; etsi forte dominatum, supra cœtum ipsum, nullum habeat. Quod in omni bene constituta Republica quotidie comprobatur.

Adde, ex hoc quod R. Pontifex dispensare possit super Conciliorum Ecumenicorum statuta, probari non potest, velut a posteriori, eum Conciliis Ecumenicis esse superiorem. Cum enim dispenset super statutis Conciliorum, quæ non solum Episcopos sed & R. Pontificem complectuntur, consequens esset, R. Pontificem ita dispensantem, Concilio Ecumenico esse superiorem, ut Pontificem ipsum Episcoposque complectitur, quod est absurdissimum.

Dispensat etiam R. Pontifex super statutis Prædecessorum suorum, quibus tamen superior non est.

Fœlicius in statutis conclusionis probationem ingrediatur, si Romani Pontificis potestatem auctoritatemque, Concilio generali superiorem ostendero, ex jure quod habet, habuitque semper, Concilia Ecumenica confirmandi; adeo ut nulla semper habita sint, nisi illis Romani Pontificis accesserit confirmatio. Modo tamen ad submovendum æquivocum, qualis ea sit confirmatio, quæ Pontifici juris est, paucis ostendero. Omnis enim confirmatio superiorum in confirmante auctoritatem non arguit semper, arguit tamen aliquando. Quod ut intelligat studiosa Juventus, observet quaeso, aliam esse confirmationem mere approbationis, consensionis, & adhesionis: dum scilicet quis Decretum, statutumque aliquod, aut sententiam scriptionemve aliquam confirmare dicitur, quod eam approbet, eisdemque subscribat, atque consentiat; Et hæc certe confirmatio superiorum

in

in confirmante auctoritatem non arguit: cum possit etiam equalis, imo & subditus superioris sententiam, Decretum, statutumque probare, eisdemque subscribere, & consentire. Quo titulo Martinus I. Rom. Pont. data ad Amandum Trajectensem Episcopum Epistola, eundem rogavit, ut a Gallicanis Episcopis confirmari curaret, quæ ipsomet pro Orthodoxa fide in Concilio Romano decreverat: cum tamen Galliarum Episcopos sibi superiores Martinus nequaquam agnosceret. Sed est & alia Confirmatio Jurisdictionalis & judicialis; qua nempe quis ita decretum aliquod statutumque confirmat, ut de illo judicium etiam authentice faciat, possitque pro potestate rescindere, infringere, in irritum mittere. Quæ certe confirmatio, seu potius confirmandi jus supremam in confirmante auctoritatem arguit, eminentiamque potestatis.

Porro, ut jam ad institutum accedam, Romani Pontifices ita confirmandorum Conciliorum generalium auctoritatem habere semper, ut ea etiam, illorumque statuta atque Decreta pro arbitrio rescindere possent, atque infringere. Sic Liberius R. P. Concilii Ariminensis judicium infregit, & Leo Magnus Concilii II. Ephesini acta rescidit; amboque Pontifices ab Episcopis Conciliorum illorum, fidei professionem exegerunt, iis aperte contrariam, quæ ante decreverant sanxerantque; ipsaque illorum Synodos cassas, nullas, faciles pronunciarunt. Quin & ille ipse Leo Magnus summis precibus exoratus a Patribus Concilii Chalcedonensis, ut quem in gratiam Patriarchæ Constantinopolitani Canonem 28. ediderant, auctoritate sua confirmaret, eundem infregit infirmavitque, adeo ut ad multum tempus; etiam in Ecclesia Orientali effectus carerit Canon ille.

O quam infinis precibus, quam plenis venerationis & observantiae significationibus, Decretorum suorum confirmationem, a Julio R. P. postulatit Concilium Sardicense, a Cælestino Ephesinum I. a Leone Chalcedonense, ab Adriano Nicænum secundum! Ut de cæteris in Occidente celebratis Conciliis; ac tandem de postremo Tridenti habito fiteam, quorum est major in Romanos Pontifices observantia, veneratio, reverentia.

Notandum tamen hic obiter, Concilium Nicænum I. actorum suorum confirmationem a Sylvestro R. P. non petisse; esseque plane commentitiam Romanam Synodum, Sylvestri tempore celebratam, cujus in actis falso refertur, Nicæna Synodi Patres, a S. Sylvestro suorum Actorum confirmationem postulasse; uti etiam falsum est, quod in Breviario Romano legitur de S. Leone II. in lectionibus, *Probavit acta sextæ Synodi*: Id quippe vitiatum est: in antiquis enim Breviariis habebatur duntaxat: *hic suscepit Sanctam Synodum sextam*. Sed id obiter.

Allatis ante momentis in auctoritatis Pontificis probationem supra Concilia Ecumenica, accedit & istud observatio dignissimum. Nempe quo jure quæve ratione omni retro ætate a Romano Pontifice ad Concilium appellare vetitum fuit; ita vice versa a Concilio ad R. Pontificem appellare licuit semper, semperque ut appellatum a viris etiam Sanctissimis; eorumque appellationes acceperit Romani Pontifices. Sic S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus a Concilio depositi ad Julium R. Pontificem appellarunt, suisque ab eo Sedibus restituti sunt. Sic Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Theodoretus Episcopus Cyri a Concilio Ephesino II. ad S. Leonem R. Pontificem appellarunt, eorumque appellationes Leo recepit. Sic Macarius Antiochenus, & alii a

6. Synodo Ecumenica damnati appellarunt ad Leonem II. Sic S. Joann. Chrysostomus a Concilio ad Quercum depositus ad Innocentium I. appellavit, qui & ipsum suæ Sedi restituit. Cum ergo interponi appellatio non possit, nisi ad Judicem superiorem; consequens profecto est, Pontificem superiorem esse Concilio, cum a Concilio ad Pontificem omni retro ætate appellare licuerit, semperque fuerit appellatum.

Variis hoc idem rationibus demonstratur, petitis ex variis Romanorum Pontificum titulis a Christo D. Petro Pontificum primo concessis.

Primo. Est ille summus Ecclesiæ Pastor, juxta Domini verbum. Petro primo Pontifici dictum, *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: Pastor autem superior est omnibus agnis, & omnibus ovibus etiam congregatis.

Secundo. Est summus in Ecclesia Æconomus & dispensator, juxta illud *Lucæ 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens?* Is porro super universam familiam constituitur, estque in Ecclesia paterfamilias. Quis autem Patrem familias, toti familia superioriorem esse neget?

Neque refert, quod nonnulli reponunt, Romanum Pontificem tam in Ecclesia Universa, quam in Concilio Ecumenico partem esse. Quasi vero? Pars equidem ille est, sed dominatrix, cæterarumque omnium matrix, moderatrix, & retrix. Ad eum sane modum, quo Rex Galliarum toti Regno suo dispoite præest, supremasque Dominus est; quamquam sit ille Gallici Regni pars, utique Dominatrix: caputque humanum toti corpori dominatur, & præest, tamen rationem partibus habeat in homine toto, partis inquam cæterarum motricis atque retractoris.

Minus multo refert quod illi subijcitur, maxime vero Ludovicus Maimburgus: idcirco Reges supremos in regnis suis auctoritate præstare, quia in suis ditionibus Dominatum exercent; quod contra facere in Ecclesia nequeunt Romani Pontifices, quibus a Christo Domino in persona Apostolorum dictum est *Lucæ 22. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*. Non habent itaque Pontifices dominatum.

Non id inquam refert: duplex enim distinguendus est in Ecclesia dominatus; alter quidem proprietatis & possessionis, qui solius Christi proprius est; quippe qui solus Ecclesiam mercatus est sanguine suo; alter jurisdictionis atque regiminis, qui Romano Pontifici maxime congruit; cum summus Ecclesiæ rector, moderator & princeps a Christo D. datus sit. Unde Gersonius ipse quamquam R. Pontificibus minus propitius, *lib. de Statu Prælatorum Consideratione 13.* diserte asserit. Esse in Papa potestatem Monarchicam, & quodammodo regalem: *Status Papalis, inquit, institutus est a Christo supernaturaliter & immediate, tamquam primum habens Monarchicum, & regalem in Ecclesiastica hierarchia: secundum quem statum unicum & supremum, Ecclesiæ militans dicitur una sub Christo. Quam statum quisquis impugnare, vel diminuire, vel alicui Ecclesiastico statui peculiari coarctare presumpserit, si hoc pertinaciter faciat, hereticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cedit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam post institutionem Christi de principatu Petri super Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis, & generalibus Conciliis.*

Et Academia Parisiensis in Instructione data Germanis anno 1575. Papalem potestatem declarat esse *jura Divino Monarchicum*. Christus ergo loco

loco nobis obiecto discipulis suis vetat Dominatum tumidum, superbum, arrogantem, quo Reges gentium in suos solent subditos dominari; ut scilicet fideles subditos, mansuetudine, lenitate, & charitate Pontifices moderentur, & regant: non Dominatum prohibet supremam potestatis atque auctoritatis, cum duo illi Dominatus secum invicem minime pugnent. Christus enim qui de se aiebat, *Mitis sum & humilis corde*, de se quoque dicebat; *vos vocatis me Magister & Domine*. & bene dicitis, *sum etenim*: & alibi, *Ego Dominus & Magister laevi pedes vestros*.

PRÆLECTIO II.

Pontificum supra Concilia potestas, veterum auctoritate confirmatur.

HAecenus Romanorum Pontificum eminentiam super Concilia Œcumenica probavimus, demonstravimus; Reliquum modo est, ut eandem veterum auctoritate confirmemus. Ex Patribus in primis proferam Augustinum supremam hujus potestatis & eminentiam assertorem; Cætera veterum testimonia ex Conciliis ipsius & Romanis Pontificibus petam.

Certe Augustinus iudicium R. Pontificis in causa fidei, finale Ecclesie iudicium existimavit, quo semel lato nullum aliud etiam Œcumenicum Concilium iudicium peti jure possit.

Totum id in causa Pelagianorum videre fuit. Statim atque Innocentii I. iudicium Romæ latum, ad Pelagianæ hæreseos damnationem in Africam perlatum est, Augustinus pro concione ad populum dixit: *Rescripta a Sancta Sede Apostolica venero, causa finita est, utinam, & error finiatur*. Et lib. 3. contra Julianum cap. 1. *Non amplius vobis agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatum de hac re sententiam cum pace sequamini, quod si nolueritis, a turbulenta & seditione inquietudine cobibemini*. Et Epist. 153. *Pelagius & Coelestius a duobus Venerabilibus Antistitibus Apostolica Sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo damnati, nisi correcti egerint penitentiam, toto Christiano Orbe pellendi sunt*. Quid plura? Lib. 4. ad Bonifacium cap. ultimum, eosdem Pelagianos tanquam lupos turbulentos & inquietos infestatur, quod a Romanis illis duobus Pontificibus damnati, generale totius Orientis, & Occidentis Concilium dari sibi postulaverint, ut eorum causa ultimo judicaretur. *Hanc gloriam Pelagiani captivo intelliguntur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur; orbem quippe Catholicam, quomodo Domino eis resistente pervertere nequeunt, salutem conservare conantur. Cum patius vigilantia & diligentia pastoralis, post factum illis competens sufficiensque iudicium, (nempe ab Innocentio & Zozimo) ubicunque isti lopi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutantur, sive ut pro aliorum salute videntur*. &c.

Probat utinam ea Romanorum Pontificum supra Concilia Œcumenica eminentia auctoritatis, & potestatis, duobus aliis momentis. Primo. Quod R. Pontifex pro quocumque gravi delicto, a Concilio Œcumenico, alioque tribunali iudicari non possit, sed a solo Deo; excepto hæreseos manifesto delicto, per quod desinet esse Pontifex, & Pontificatus cessasse censeatur. Secundo. Quod a R. Pontificis iudicio atque sententia, in materia dogmatica morum & fidei appellatio interponi non possit, etiam ad Concilium Œcumenicum.

Probat utrumque caput subiectis testimoniis. Gelasius I. Epist. 17. ad Episcopos Dardaniæ: *Prima sedes unquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & congrua moderatione custodit pro sua*

principatu... Non reticemus quod cuncta per mundum novis Ecclesia, quoniam quovislibet Episcoporum sententia ligata, B. Petri Apostoli sedes jus habeat resolvendi: Utpote cum de omni Ecclesia jus habeat iudicandi; Neque cuiquam liceat de ejus iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus... Sed nec illud preterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla Synodo procedente, & absolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Cujus rei multa subiungit exempla. Quod etiam repetit Epist. 4. A iudicio R. Pontificis in materia dogmatis nunquam a fidelibus est appellatum, etsi forte in materia facti, aut discipline. Hic lege Anald. pag. 345. & seq.

Nicolaus I. Epist. 8. ad Michaelem Imperatorem. *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesie ad hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nusquam profusus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsa vero ad nullius commate iudicium*.

Bonifacius VIII. in extravaganti Unam Sanctam, titulo de majoritate & obedientia: *Si deviat reverentia potestas, iudicabitur a potestate spirituali: si deviat spiritualis minor, a majori: si vero suprema, a Deo solo, non ab homine poterit iudicari*.

Leo X. in Constitutione; Pastor æternus, quæ in Concilio V. Lateranensi lecta, recepta, probataque est Sess. II. sic habet. *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum iudicandorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex Sacra Scriptura Testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat. Quorum aliqua referre placuit, reliqua vero, utpote notiora, silentio præterire*...

Concilium Florentinum in Decreto unionis; *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & R. Pontificem in universum Orbem tenere primatum: Ea ipsi, & Beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam, a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; Quemadmodum etiam in actis Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*.

Concilium Lateranense sub Alexandro III. ut habetur in cap. licet, extrav. de electione, rationem assignans cur summa cautela eligi debeat Romanus Pontifex, hanc maxime notat, *quia si delinquat ille, non poterit ad superiorem haberi recursus*.

Occasione Symmachi R. Pontificis, quem IV. Concilium Romanum Palmare vulgo dictum a Theodorico Rege congregatum anno 500. de violata castitate criminæ accusatum, noluit in iudicium vocare, nisi se ipsemet illius iudicio subieciisset, volens ac etiam rogans; *Ennodius Papiensis Episcopus in illius Apologia, in quinto Concilio Romano lecta, & approbata, inquit: quia aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari; Romane autem Sedis Præsul, suo sine questione reservavit arbitrio... Voluit, B. Petri successores Cælo tantum debere innocentiam suam, & subtilissimi discussoris indagari involatam exhibere conscientiam. De causa Symmachi Vaira pag. 620.*

Et S. Avitus Episcopus Viennensis Epist. ad Senatores Urbis Romæ, occasione laudati Romani Pontificis suo & Episcoporum Gallie nomine data in sinuavit; dum de Synodo Palmari, & iudicio in ea lato in causa Symmachi, expostulavit Ecclesia Gallicana. *Sicut subditos non esse reverentia potestatis*

potestatis jubet arbiter Cæli... ita non facile datur intelligi, quæ vel ratione vel lege ab inferioribus superior iudicetur... Nam cum celebri præcepto Apostolus claret, accusationem in presbyterum accipi non debere; quid in Principem totius Ecclesie licet defendendum est? Id Synodus Romana prospiciens, causam, quam pene temere susceperat inquirendam, Divino potius iudicio reservavit.

Concilium VIII. Œcumenicum, seu Constantinopolitanum quartum, sub Hadriano II. Actione 10. agnovit, non habere se auctoritatem ferendi sententiam in Romanum Pontificem. *Si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia; oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita questione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, & profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere, contra summus senioris Romæ Pontificis. Quod tamen intelligi debet, excepta causa hæreseos, in quam Romanus Pontifex incidisset; ob rationes alibi adductas.*

Isidem Canonice doctrinæ principis etiam inbuti Italiae & Galliarum Episcopi a Carolo Magno Romæ non ineunte sæculo congregati, ut Leonis III. R. Pontificis, variis facinorosorum hominum criminationibus impetiti causas cognoscerent; jubenti Carolo Magno parere renuerunt, nisi venia prius ab ipsemet Leone impetrata, qua se illorum examini iudicioque permitteret volens ac lubens. *Clamaveruntque propterea omnes, Anastasio teste in vita Leonis: Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audeamus: Nam ab ipso nos omnes, & Vicario suo iudicamur: ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum antiquus mos fuit: sed sicut ipsemet summus Pontifex consuevit, jubeat & canonicè obediatur*.

Innocentius III. Sermone de consecratione R. P. *In tantum mihi fides necessaria est, ut cum de ceteris peccatis Deum solum iudicem habeam; propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari. Can. si Papa; dist. 41. Unde additionem post solum alterum*.

S. Yvo Carnotensis Episcopus, iurisque consultissimus, in eam juris Ecclesiasticæ regulam intendens Epist. 233. in causa Paschalis II. qui privilegium investiturarum contra Ecclesie jura; Henrico Imperatori concesserat, ita ad Angericoensem Abbatem scribebat: *Et quia reverenda patris debemus potius velare, quam nudare familiaribus, charitatem redolentibus literis admonemus mihi videtur, ut se iudicet, aut factum suum retrahat. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat, tanta debilitata molestia: Si autem in hoc languore insanabiliter egrotaverit, non est nostrum iudicare de Summo Pontifice*.

Idem Yvo Epist. 183. alias 159. in eam juris Ecclesiasticæ regulam intendens, iis ipsis, qui sententia aliqua Pontificis gravatos existimant, consilium dat prudentissimum; ut non ad aliud tribunal appellent, quo a suscepto gravamine liberentur; sed ad eundem Pontificem recurrant, melius utique informandum, levamen, si fieri poterit, recepturi. *Quoniam iudicia Ecclesie Romana a nemine juris tractari posse, eadem Ecclesia Romana docente, didicimus; si qui aliquando se prægravatos, ipsius Ecclesie auctoritate, conqueuntur, hoc eis consilium damus: ut non descendant in Ægyptum propter auxilium; sed ab illa ad ipsam confugiant; & inde expectent levamen, unde se conqueuntur accipisse gravamen*.

Hoc idem consilium, eadem juris regula informatum, inuit hoc ipso sæculo duodecimo S. Berry Tom. IV.

nardus Epist. 113. & lib. 2. de Consider. cap. 2. Pontifices alloquens: *Quis mihi faciat iustitiam de vobis? Estat quidem tribunal Christi, (nempe superius Pontificio) sed absit ut ad illud appellem, In quo recurro ad eum, cui datum est iudicare de universis: hoc est ad vos; vos appello ad vos; iudicatio me & vos*.

Ex his igitur adductis momentis non longius accessit; non Dialecticæ spinis, & tribulis obtatis, sed historicis, & omnibus obvius, quotquot meridiana in luce non omnino excutiant, certissime colligent, Romanos Pontifices super Generalia Concilia semper eminuisse auctoritate, potestate, atque iurisdictione. Reliquum est, ut tot Pontificie auctoritatis hostium federatorum tela, ea qua possumus, arte & opera retundamus.

PRÆLECTIO III.

Adversariorum momenta diluuntur.

Satis operam impendimus, in asserenda Romani Pontificis supra Concilium generale eminentia potestatis & auctoritatis: postulat jam officii ratio, ut ad Theologorum aliter sententiam diluenda momenta studium convertamus.

Qui Romanum itaque Pontificem Concilii Œcumenici auctoritati subiciunt, eo maxime momento nituntur, quod Concilii Œcumenici auctoritas divina sit, seu cum Dei ipsius auctoritate conjuncta; adeo ut una cum Concilio Deus ipse, Spiritus S. definire, iudicare, decernere censeatur: omne quippe Concilium Œcumenicum, inquit illi, aliquid fidei caput solemniter definit, perinde ac Concilium ab Apostolis Hierosolymis habitum, dicere merito potest, quod illi dixere, *visum est Spiritui S. & nobis, Act. 15*. Ex quo consequens esse volunt debere necessario summum Pontificem, idem cum Concilio desinente, & iudicante sentire, ne & ipse a Spiritu S. dissideat. Atque ita utinam tandem colligunt, veluti confectarium sponte fluens, Romanum Pontificem Concilio Œcumenico necessario subesse.

Miror ego tam multos eo deludi momento, quod ne ipsam quidem, quæ nobis in manibus est, difficultatem attingit. Monuimus enim in antehabitis, Concilium Œcumenicum, de quo quærimus, subit ne Romano Pontifici, an vero præstet, non illud esse, quod Episcopos simul in cærum vocatos complectitur, & qui illis præest R. Pontificem; sed quod solos dicit Episcopos, non intellecto Pontifice. Porro Concilium, cuius divina auctoritas dicitur esse, cum quo scilicet iudicat desinitque Spiritus S.; adeo ut qui in eo Episcopi de fide pronunciant, dicere merito possint, *visum est Spiritui S. & nobis*; non illud profecto est, quod solos dicit Episcopos, non computato Pontifice, sed illud, quod & Episcopos, & Pontificem ex æquo complectitur. Certe dum Patres Concilii Chalcedonensis E. G. Canonem vigesimum octavum, Legatis Pontificis repugnantibus, ediderunt; quem idcirco Leo I. subinde rescidit & in irritum misit, ut alia mitam exempla superius memorata, nec dixere, nec dicere potuerit, *visum est Spiritui S. & nobis*. Ab instituto igitur nostro longe abit argumentum illud decantatissimum, quo solo sibi videatur Adversarii cæli convexa turgisse.

Age tamen concedamus fervidis Disputatoribus, quod ex suo illo principio consequens esse volunt, Demus, inquam, ex Divina Concilii Œcumenici auctoritate, afflatque Spiritus S. Concilium dirigentis, consequens esse R. Pontificem idem semper cum Concilio sentire debere, ne &

ipse a Spiritu S. dissentiat, Non tamen sequitur, eum Concilio illi subesse; sed huic sese conformare debere; propter illius iudicii rectitudinem, & aequitatem, illiusque eam Spiritu S. consensio- nem; non propter ipsius Concilii supra R. Pontificem auctoritatem ac potestatem. Uti plane Vir prudens & veritatis amator sentire debet cum viro eruditissimo, Sententiam suam invictis probante ac demonstrante; propter ipsam veritatem Sententiæ ita probatæ ac demonstratæ, non propter auctoritatem potestatemque aliquam, quam in illum Vir ille eruditus exercent. Quare R. Pontifex Concilio generali, ex instinctu Spiritu S. aliquod desinenti, consentiens atque subscribens subicitur quidem Spiritui Sancto, Concilium ad recte desinentem dirigenti, non itidem Concilio subest. Uti plane Concilium generale subsequens tepetur assentiri desinenti fidei Concilii præcedentis. Nec tamen alterum alteri subicitur.

Altera non rationatione conveniunt Adversarii, ut tutiores, in huius controversiæ tractatione, partem amplecti se, nobis ostendant.

Contigit, aiant hi, sæpe numero celebrari in Ecclesia Catholica Concilia generalia, ut damnata a Pontificibus hæreses denuo damnarentur. Post latam a Leone Magno Eutychetis damnationem, caetum est a Marciano Concilium Chalcedonense; ut plebore iudicia omnia possit error aboleri: Quemadmodum Leo ipse loquitur in *Epist. ad Theodoretum*. Ita post damnatum a Leone X. Lutherum, habitum est Concilium Tridentinum: Igitur superioris auctoritatis censendum est Concilium Œcumenicum, Romano Pontifice.

Respondet tamen ego; Concilia illa generalia, quæ quandoque in Ecclesia sunt celebrata, ut damnata jam a Romanis Pontificibus hæreses denuo damnarentur; ab ipsis Pontificibus Præsentibus non fuisse sejuncta; sed suos secum habuisse Pontifices Præsides. Quare si quid inde, ad probandam Concilii generalis supra R. Pontificem eminentiam potestatis atque auctoritatis colligi possit; id certe colligeretur, Concilium Generale Romano Pontifici adjunctum auctoritate ac potestate superius esse Pontifici solo; quæ de re in præsentem minime disputamus.

Addidit etiam D. Leonem nusquam existimasse, Concilium aliquod Œcumenicum esse absolute necessarium ad Eutichiani erroris damnationem. Imo evidenter apparet, aiebat ille *Epist. 16. ad Flavianum*, rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere dignatione. Et *Epist. ad Theodosium 17. Tam evidens causa fidei est, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo esset abstinendum. Vaira p. 774.* Fuerunt itaque convocata Concilia, ut majori solemnitate Eutichianus error damnaretur; utque magis magisque errantium audacia coerceretur; dum cernerent, universos Episcopos, ipsorum subscribere damnationi, & in ea ferenda Sententia membra suo Capiti concordare, ut loquitur Leo ipse *Epist. 63. ad Theodoretum*.

Paris omnino fortis est, quod iactare solent in sue sententiæ probationem, Concilia generalia quandoque Romanorum Pontificum constitutiones rescidisse. Uti plane Concilium V. Œcumenicum seu Constantinopolitanum secundum, tria Capicula proscribendo, Vigiliis, qui ea probaverat, constitutionem rescidisse convincitur; ex quo inferunt hi, Concilium Pontifice superius existere. Sed aiant hoc illi tantum; non probant, imo liquet esse falsissimum, Vigiliis enim nunquam tria Capicula probavit, sed ab illorum censura abstinuit per aliquod tempus; tum quod Concilio Chalcedonensi, a quo intacta relicta fuerant, injuriam inferre non videretur: tum quod illorum Capiculorum genuinum & intimum sensum nonquam esset

assecutus, facti quodam errore laboratis; tum quod illorum Auctores vitæ sanctos accepisset, quorum idecirco manes inquietare minime congrueret: nunquam tamen re ipsa, latoque iudicio probaverat, quæ subinde re melius inspecta damnavit. Quare quintæ Synodi sententia, quæ tria Capicula damnata sunt, idem fuisse Vigilium, non nisi per summam calumniam dici potest.

Alterum momentum petunt, ex Constantini Magni mandato, qui Donatistas a Melchiae Papa, aliisque assidentibus decem & octo Episcopis, damnatis, Concilium Arelatense concessit: ut si priores Romæ Iudices fuissent errasse convicti, eorum sententiæ solverentur, ut loquitur D. Augustinus *Epist. 164.*

At huic reponere facile fuerit, si ea in memoriam revocemus, quæ fufius exposuimus dum de Romanorum Pontificum indefinita tractavimus, ubi demonstravimus: Primo: Concilium Arelatense non fuisse Œcumenicum, sed 200. duntaxat Episcoporum; atque ita nimis probare hoc argumentum.

Secundo: Episcopos decem & octo, qui Romæ cum Melchiae iudicaverant, in Concilio quoque Arelateni una cum legatis Pontificiis confedisse ac iudicasse: atque ita non fuisse, vigore loquendo, provocationem ad superius tribunal, sed eisdem causæ per eosdem Iudices recognitionem.

Repetunt alterum ex Siricio R. Pontifice, qui Bonosi Sardicenis Episcopi causam iudicare noluit, propterea quod Concilium Capuanum eam Anytio Thessalonicensi Episcopo aliisque Macedoniæ & Illyrici Episcopis iudicandam remisisset. Imo Anytio, qui eum, ut causam illam iudicaret, enixe rogabat, respondit per Epistolas, ad eos pertinere iudicium, quos ad iudicandum Concilium Capuanum anno 300. delegaverat.

Itaque se ipsum Concilio Capuano inferiorem Siricius reputavit. Equis quæsto tam insultam consecutionem non exereretur? Erat enim Concilium Capuanum Provinciale duntaxat, quod nemo unquam somniaverit R. Pontifice esse superius. Noluit ergo iudicare Siricius, non quod pro suprema potestate non posset; sed quia non congruebat, servato iuris ordine: quasi vero tanquam a Concilio Capuano delegatus, iudicaturus esset Siricius. Unde roganti Anytio respondit: *Primum est ut ii iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius ut scripsimus Synodi vice decernitis; Nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non convenit, ac paulo ante: advertimus, quod nobis ea iudicandi forma competere non possit.*

Non dissimile Pontificiæ auctoritatis depressoribus subministrat exemplum Historia S. Joannis Chrysoctomi a Palladio descripta in *Dialogo*, & a Sozomeno *lib. 8. Hystor. Cap. 26.* Cum vir ille Sanctissimus a Theophilo Patriarcha Alexandrino, eiusque Symmisti in Pseudo-Synodo ad Quercum damnatus esset, suaque sede inique deturbatus, Innocentius I. R. P. Sententiam in eum laram, iniquam pronuncians, atque declarans, in *Epistola ad Clerum Constantinopolitanum data*, ait: *necessarium esse Synodalem cognitionem, ad causam illam integro finiendam. . . . Eam solam esse, iniquam, que huiusmodi procellarum impetus retardare possit.* Auctoritatem itaque Synodi sua longe superiorem ac maiorem agnovit.

Temere tamen & inconsulte. Ideo enim Synodum, ad causam illam finiendam, necessariam existimavit Innocentius: quia cum Joannis Chrysoctomi, e sua Sede deturbati occasione, Orientis & Occidentis Episcopi in varias partes atque factiones scissi essent; facilius in concordiam revocari

cari poterant, mutua secum habita collatione, in generali Concilio commodius faciendæ, Præside Innocentio; quam si solus de totius negotii summa illiusque appendicibus Innocentius iudicaret. At id non minore arguit in Pontifice quam in Synodo iudicariam potestatem; sed faciliorem duntaxat sedandarum turbarum viam apertum iri probat in Synodo, quam solus ipse Pontifex aperire posset.

Quamquam tamen, Deo bene fortunante, res longe aliter cesserit; nullaque celebrata Synodo Œcumenica, sola Innocentii I. auctoritate atque industria, lis illa magna finita sit. Cum enim Innocentius communionem suam Episcopis Thraciæ, Ægypti & Orientis denegasset, ob injuriam Joanni Chrysoctomo factam illi in se reversi, & penitentia ducti, Joannem colere ac venerari cæperunt, eiusque nomen sacris dypticis, a quibus illud expungerant, inscripserunt.

Instant nihilominus plus æquo audaces Sedis Apostolicæ depressores, & ut Romanos Pontifices Concilii Œcumenici subiectos atque suppositos vociferentur, afferunt Œcumenica quedam Concilia, quæ damnationis sententiam in eos tulere. Præ cæteris in ore habent sextam Synodum Œcumenicam, quæ Honorium Romanæ Sedis Episcopum uti hæreticum Monothelitam damnavit, & anathemate petiit. Habet igitur Concilium Œcumenicum potestatem Romano Pontifici superiorem.

At quam parum ista nos urgeant, nemo non videt: imo quam belle quæ de Romanis Pontificibus diximus, ista confirmant, facile deprehendet, qui, quod in antecessum diximus, paulisper considerabit. Ubi Romanum Pontificem ita Concilii Œcumenici eminare docuimus, ut ab iis, quamquam graviter deliquerit, iudicari non possit, excepto tamen casu hæresis manifestæ, quam ille forte professus esset, uti doctor privatus, & extra tribunal Pontificum. Honorius enim, qui una cum reliquis Monothelitis, a tribus Conciliis Œcumenicis post obitum iudicatus est, diroque petitus anathemate, de violata fide fuerat accusatus, ac etiam ex illius Epistoliarum lectione convictus. Nihil ergo nos movet iactata toties a Pontificiæ dignitatis oforibus lata in illum sententia anathematis. Imo quæ de summo Pontifice generatim diximus, mire confirmant. Quæ vero fieri forte possit, ut qui auctoritate & potestate Concilii Œcumenici præstat, ab iis tamen in causa hæresis iudicetur atque damnetur, late satis exposuimus.

Mirum est, quam & multa a Pontificiæ dignitatis depressoribus facta hinc inde historica congerantur, ut probent, ipsos quoque Romanos Pontifices veritate victos ac superatos, Concilia Œcumenica novisse, auctoritate sibi & potestate superiora. Nos pauca ex multis seligemus, graviora tamen eaque in speciem difficiliora; ex quorum elucidatione atque explicatione planum fiet, quam turpiter illi fallantur & fallant.

Primum igitur historicum momentum perunt ex Innocentio III. Pontifice Maximo, qui a Philippo Augusto Galliarum Rege rogatus, ut suum cum Regina Infemburgum Regis Danicæ fore Matrimonium contractum rescinderet, respondit, se nihil quidquam pro ipso sine Generali Concilii deliberatione determinare; quin imo dignitatis iacturam incursum esse, si id forte tentaret: *Non audeamus in huiusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid deservire. Si super hoc absolute deliberatione Concilii determinare aliquid temeremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possumus incurvere, forsitan ordinis & officii nostri periculum immineret.* Ita com-

Serry Tom. IV.

pendio ferunt Galliarum Historiæ, extatque Innocentii Epistola *lib. 7. Registri n. 104.* Quo responso excitati Pontificiæ auctoritatis ofores suam illam intercalarem cautionem recinunt animosius; Innocentium Pontificem utique doctissimum, suæque dignitatis retinentissimum, Philippo Galliarum Regi ingenue factum esse, plus posse Concilium, quam ipse posset; imo & ab eo deponi se posse, si quid præter jus & æquum, ad Regis supplicis gratiam definiret.

Temere tamen suam illam cautionem recinunt, & inconsulte. Innocentius enim nihil quidquam eo in negotio pro Rege agere se posse putavit; non utique defectu suprema in Ecclesia potestatis, sed defectu æquitatis atque iustitiæ postulatum a Rege Augusto. Quod nempe rem postulasset Augustus, iure divino veritatem in Evangelio, quod *Deus conjungit, homo non separat.* Quod vero de necessaria generalis Concilii deliberatione subjungit, sine qua nihil se in Regis gratiam decernere posse ait; non ex iure & æquo videtur dictum: cum nec contra jus Divinum Christianique præceptum, definire quidquam posset generale Concilium; sed ad meram excusationem, honestumque suffugium excogitatum est: quia nullum tunc præsto Concilium aderat, cum quo ea de re deliberare posset. Quod demum de *Officii dignitatisque iactura* subjungit, si forte ad Regis gratiam, sententiam diceret; idecirco est dictum quia si Pontifex in apertam incidat hæresim ut eo in casu contingeret, Concilio subicitur, imo definit esse Pontifex; potestque e sua Sede deieci ac deturbari.

Momentum alterum petunt ex Agapeto R. P. *Epistola 6. ad Cesarium Arelatensem Episc.* in qua ait, sinere se ac pati non posse, ut Cesarium Ecclesiæ suæ prædia ad aliena jura transferat, quia ne id quoque faceret Romanæ Urbis Episcopus, in Romano Concilio veritum fuerat. Igitur Romano Concilio se subditam fassus est Agapetus, qui sese illius lege ferebatur adstrictum. Quis tam ineptam consecutionem non exereretur, cum non nisi Provinciale Concilium illud esset, cui ipsemet præfuerat Agapetus?

Unde, repono ego, Romanæ illius Synodi decreto paruisse Agapetum, non ob supremam Synodi huius supra ipsum auctoritatem; sed ob decreti ipsius æquitatem atque iustitiam. Quo pacto solent & Romani Pontifices, & ipsa quoque generalia Concilia, Synodorum aliquarum Nationalium, aut etiam Provincialium decreta ac statuta tenere, spectata statutorum ac decretorum æquitate atque iustitia; est illorum auctoritati minime subint, quia nihil possunt contra veritatem atque iustitiam.

Post hæc congerant alia multa R. Pontificum dicta, Romanæ Sedis decuratores, quibus ingenue profitentur, teneri sese Sacrorum Conciliorum Canonibus; & ad illorum observantiam adstringi: Ut Gelasii I. *Epist. 17. ad Episcopos Dardaniæ: Simplicii Epist. ad Acacium: Martini I. ad Joannem Episcopum Philadelphiam: Gregorii M. Epist. 37. libri I. Registi: Eugenii III. Epist. 8. ad Episcopos Germaniæ: Felicii III. Epist. 7. ad Verranianum Episcopum; Lucii III. ad Raynaldum Novionensem Episcopum; Innocentii III. ad Nicolaum Melitensem Lib. 1. & ad Archiepiscopum Cantuariensem lib. 1. Registri; Aliorumque nonnullorum; ex quibus colligitur illi, subesse Romanos Pontifices Sacris Conciliis.*

At hoc idem argumentum posset hoc pacto contra ipsos retorqueri. Profitentur quoque Romani Pontifices, teneri sese Majorum suorum decretis atque statutis; & ad illorum observantiam

adstringi; nec tamen inde colligitur, R. Pontifices majorum suorum auctoritati subesse.

Profitentur quoque Concilia generalia posteriora teneri se veterum Conciliorum Canonibus: & ad illorum observantiam adstringi: Nec tamen inde colligitur, Concilia hac veterum potestati subjacere.

Quibus adderem ego, Sacrorum Conciliorum Canones, quibus se teneri Romani Pontifices profitentur; & ad quorum observantiam teneri se dicunt, duplicis generis esse: alios quidem quibus ea statuuntur ac decernuntur, quae jure naturali atque divino sunt constituta; alios, quibus ea sancuntur, quae jure duntaxat Ecclesiastico decernuntur. Quod priores Canones attinet; ex hoc, quod ad illorum observantiam Pontifices teantur, colligi ut summe posset, subesse illos Deo naturalis, & divini juris auctori, etsi non ita forte sacris Conciliis subderentur.

Quod autem ad posteriores Canones attinet, iis quoque tenentur Pontifices, non titulo subjectionis, sed titulo aequitatis; hoc est, non quia Conciliorum auctoritati subjiciuntur, iisque sunt potestate atque auctoritate inferiores; sed quia æquum est, ea observari, quae jure prudenterque, ad Christianæ Reipublicæ bonum, constituta sunt atque decreta. Eo plane modo, quo Reges ipsi supremæ Sæculi Principes, nonnullis Regnorum suorum legibus tenentur, easque rescindere atque infringere, salva æquitate, non possunt; quin idcirco colligi inde possit, esse illos Regibus suis inferiores, iisdemque subesse.

Certe si ex ea R. Pontificum professione, qua se Conciliorum Canonibus teneri ajunt, & ad illorum observantiam adstringi profitentur, colligere licet, eos Conciliis illis subesse, iisque potestate atque auctoritate inferiores esse: Quid ni verius colligamus vice versa, esse Sacra Concilia R. Pontificibus subiecta multoque inferiora; Cum & hæc ipsa Concilia professa sint sæpe sæpius, ita se RR. Pontificum decretis statutisque adstricta esse, ut ab eorum auctoritate compulsæ fuerint, atque coacta ad hæreses damnandas, & proferendas, eo vel solo titulo, quod essent illa a R. Pontificibus prædamnata. Sic Concilium Ephesinum læta Cælestini R. P. Epistola, qua Nestorianam hæresim prædamnaverant, coactum se esse dixit, ad eam petinde hæresim Anathemate confingendam; neque obest Cælestini R. P. Epistola ad Episcopos Myrie hoc pacto loqui: *Dominentur nobis leges, non legibus dominemur; pareamus Canonibus, & ea quæ sunt nobis præcepta servemus.* Nam id de primo genere Canonum dictum est, de iis scilicet, quibus ea statuta sunt atque decreta, quæ jure divino aut naturali præcepta sunt. Quinimo de subjectione & dominatione rationis intelligi voluit Cælestinus, non de dominatione potestatis præceptivæ & coercitivæ, ut Scholæ loquuntur. Et certe cum vir prudens ratione ducatur atque regatur, ratio eo sensu dominari prudenti homini dicitur: atque ita leges justæ, hoc ipso quod justæ sunt rectæque rationi congruentes, Pontificibus dominari debere dicuntur, ut iis ipsi ducantur atque regantur, quia ita ratio postulat. Etsi forte Concilia generalia, a quibus illæ sunt conditæ, supremam in Pontifices ipsos non obtineant potestatem.

PRÆLECTIO IV.

Dilantur momenta, quæ ad oppugnandam Pontificis supra Concilium eminentiam notam ex Appellationibus, seu provocacionibus ad Concilium Eumenicum factis, desumuntur; sed etiam ex nonnullorum Conciliorum exemplis, quæ in ipsos RR. Pontifices judicium exercuisse, demonstrant.

QUA cura studioque, ut Romanum Pontificem Concilio superiore probaremus, appellationes seu provocaciones ab illo ad istud, omni jure veritas demonstravimus, ita e contrario Sedis Apostolicæ depresso, ut istud illo superius ostendat, has ipsas appellationes a Pontifice ad Concilium licitas esse evincere molimur. Id ut præstent, appellationes a Pontifice ad Concilium in Galliis identidem interjectas ex ordine referunt. Anno quidem 1302. a Bullis Bonifacii VIII. ab universis Galliæ Ordinibus appellatum est ad futurum Concilium. Tum anno 1491. a Bulla Innocentii VIII. occasione Decimarum extra ordinem collectarum perinde est appellatum. Postmodum anno 1517. a Leonis X. Concordatis cum Francisco I. & abrogatione Pragmaticæ Sanctionis, Postremo anno 1682. a Decretis Innocentii XI. in causa Regaliæ. Appellatio porro cum nonnisi ab inferiori Judge ad Superiorem fieri possit, Pontificem Concilio inferiori confidentissime colligit.

Boni profecto disputatores, qui jus ex facto probare ambiunt! Lepide vero: *appellatum est aliquando; igitur licet appellare.* At quotquot scientiam juris habent seu Civilis, seu Canonici, illud profecto tenent, ex factis privatis jura nec probari nec statui, ubi lex aut statutum in contrarium est. Appellationes autem a Romano Pontifice solemniter, & ex tribunali pronunciant, ad futurum Concilium, vetite jure novo a Martino V. in Consistorio publico Constantiæ habito anno 1418. a Pio II. litteris Mantuæ in Conventu Principum publicatis anno 1469. tum deum a Julio II. & Bulla in Cæna Domini, a Gregorio XIII. instaurata. Nec modo illa vetitæ sunt appellationes, quia Concilium ad quod appellatur, superius Tribunal non agnoscitur universum; sed etiam quia non nisi in fraudem sunt, & ad judicium Ecclesiasticum declinandam. Appellatur enim ad tribunal prope climericum, quod nec est, nec forte erit unquam ætate nostra, ferorumque Nepotum; quod observavit Pius II. in Bulla sua *Execrabilis: Ad id appellatur, inquit, quod nusquam est, neque scitur quod futurum sit. Pauperes a potentibus multipliciter opprimuntur; remanent impunita scelera; nutritur adversus primam Sedem rebellio; libertas delinquenti conceditur; & omnis Ecclesiastica disciplina; & hierarchicus ordo confunditur.* Adeo ut tamen pro certo poneretur, Concilium Generale Romano Pontifice superius esse; nec dum congrueret a Pontifice ad Concilium provocare. Quod egregie prudenterque exequitur Franciscus Victoria Theologus Hispaniarum celeberrimus, Relectione de *Auctoritate Papæ & Concilii.*

Quare nequidem si forte ex Apostolicæ Sedis judicio sese gravatos aliqui putant, appellationem interponere illis expedit. Sed injuriam patienter ferre satis illis est, juxta Concilii Triburiensis Canonem 30. *In memoriam B. Petri Apostoli, honoris sanctam Romanam & Apostolicam Sedem. Ut quæ nobis Sacerdotalis mater est, dignitatis esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas: Ut licet vix servandum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus;*

ramus, & pia devotione toleremus. Unde Illustrissimus D. Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis (quem nemò hac in causa suspectum judicem dixerit) lib. 4. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 17. docet appellationes illas a R. Pontifice ad Concilium juris esse novi, atque recentis: quia nunquam in Ecclesia admissa suis provocatio a Papa ad Concilium, licet aliquando remediò quodam extraordinario Sedis Apostolicæ judicium in majori Synodo fuerit instauratum.

Is licet observationibus soluta satis superque sit objecta nobis difficultas ex interjectis aliquando, in Gallia præsertim, appellationibus a Pontifice ad Concilium: ad uberiorem nihilominus solutionem, & Gallorum excusationem, alia nonnulla non omiserim observare.

Primo: Appellationum laudatarum aliquas factas esse a Gallis, non simpliciter ad Concilium, sed ad Pontificem melius informandum in pleniori Concilio. Sic sane Senatus Parisiensis, in causa Concordatarum & abrogationis Pragmaticæ Sanctionis, appellavit a Leone X. & Concilio Lateranensi V. ad Leonem melius consultum; & ad Concilium alterum plenus & generalis; cum Galli Concilium Lateranense V. non habent pro Oecumenico.

Secundo: Galliam universam Bonifacium VIII. pro certo legitime Pontificem non habuisse. quare nil mirum si ab ejus Bullis atque fulminibus ad Concilium appellaverint.

Tertio: Incausis disciplinæ duntaxat, non iridem dogmatis, fuisse in Galliis appellatum ab Universis ordinibus. Porro non est ita certa Romani Pontificis, in causis ad disciplinam spectantibus, aphantia seu infallibilitas, ac in questionibus ad fidem & dogmata pertinentibus judicandis.

Quarto: Dum a Pontifice appellatur ad Concilium, ad Concilium utique appellatur, a Pontifice ipso convocandum, cui & ipse præesse debeat, vel per sese, vel per Legatos suos: atque ita fit quodammodo appellatio a Pontifice ad Pontificem ipsum. Quare, non tam interponitur appellatio, quam nova causæ cognitio postulari, ab eodem Judge, aliis duntaxat adjuctis judicibus, faciendæ. Aut certe fit appellatio a persona Pontificis, quæ forte suspecta judicatur, ad personam alteram, non a Pontificis auctoritate, ad superiorem auctoritatem Concilii.

Quinto: Cum appellatio a Pontifice ad Concilium fiat, non illud quidem acephalum, sed Pontifice quoque suo, tanquam legitimo capite atque præside auctum atque directum; Colligi duntaxat potest, ex hujusmodi appellationibus, Concilium, ut ipsum quoque Pontificem habet adjunctum, Pontifice solo & solitario esse superius auctoritate & potestate; qua de re non est nobis in præsentia disputatio.

Non abfimile momentum petunt Summorum Pontificum depresso ex Concilio Pisano anno 1409. celebrato. Ajunt, Concilium hoc ad Schisma tunc temporis Ecclesiam infestans sopiendum Gregorium XII. & Benedictum XIII. deposuisse, & Alexandrum V. creasse, ex quo colligant, in Romanos Pontifices auctoritatem exercuisse, atque ita illis fuisse auctoritate superius.

Addunt Concilii Constantiensis Decretum, in quarta Sessione primo editum, ac tum in quinta solemniter confirmatum, quo Romanos Pontifices Conciliis Oecumenicis subiectos atque suppositos, ad ravim usque vociferant. Decretum sic habet. *Hæc ipsa Synodus in Spiritu S. legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem legitime representans, potestatem a Christo immediate habet: cui quilibet, cujuscumque*

status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obediendi tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, & reformationem generalem Ecclesie Dei in capite & in membris. Quod subinde in Concilio Basiliensi Act. 2. instauratum est, & in Responso Synodali, legatis Eugenio IV. dato, multo disertius confirmatum. Si autem (colligunt Adversarii) Pontifex Concilio Oecumenico tenetur obedire, eidem profecto subesse atque subjicere; cum non sit obedientia nisi subditi ad superiorem.

Huic expediendæ difficultati duplex se nobis aperit via; quin in eas questiones criticas ingrediamur, quas de Actis MSS. Concilii Constantiensis excitavit non ita pridem vir eruditus Emmanuel Schelstrate, Bibliothecæ Vaticanæ Præfatus.

Prima est si dicamus, Concilium Constantiense, dum priores illas Sessiones celebravit, nondum fuisse vere ac proprie Oecumenicum: quia tunc ad illud sola Joannis XXIII. obedientia convenerat, quæ Ecclesiæ Catholicæ partem complectebatur multo minore: aberant vero obedientiæ altæ duæ Gregorii XII. & Benedicti XIII. Nec ipsi qui aderant ex Joannis obedientia Præfules, secum invicem consentiebant. Ita Joannes de Turrecremata, qui præsens aderat, *In Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 99.*

Frustra vero reposueris, Martinum V. decreta Sess. 4. & 5. Concilii Constantiensis tandem aliquando approbasse. Falsum enim id est atque falsissimum. Imo rogatus Martinus de Concilio Constantiensis decretis confirmandis, respondit ore proprio, ac postea per Concilii advocatum denunciari iussit. *Se omnia & singula Concilii in Materia fidei conciliaria decreta teneri & inviolabiliter observari velle, non aliter nec alio modo.* Qua restricta clausula, in materia fidei, decreta dubio procul intelligi voluit, ad damnationem Joannis Wicleffii, Joannis Hus, Jacobi Parvi, & Bohemorum, ita in sessionibus statim edita.

Altera solvenda propositæ difficultati suppetit via. Si nempe dicamus decreta Sess. 4. & 5. Concilii Constantiensis, pro conditione temporis lata esse, atque ita de dubiis Pontificibus (quales tunc erant Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII.) esse intelligenda: qui certe auctoritati Concilii Oecumenici subjiciuntur, ut vel hoc pacto schisma dissolvi possit.

Cui responso non officit, quod hæc eadem Synodus Constantiensis deinde subjunxit in laudatis decretis: *Pontificem omnem, qui decretis suis, aut alterius cujuscumque Concilii legitime congregati renuerit obedire, esse puniendum, nisi se emendaverit.* Nec enim ea verba Concilii Constantiensis, decretum ad omne tempus, extra Schismatis occasionem, extendunt; quæ & quovis tempore, & quivis Pontifices Conciliis subderentur. Quandoquidem hoc quoque decretum restringit Concilium Constantiense, additis hæc verbis: *cujuscumque Concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea spectantibus factis vel faciendis.* Quæ verba plane significant qualemque Concilium, eadem de causa celebrandum, eadem in Summo Pontificem auctoritate pollere. Porro hæc ipsa Synodus Constantiensis aperte declarat, fuisse se congregatam ad extinctionem Schismatis, a dubiis Pontificibus excitati.

Imo si hujusce Synodi gesta diligentius expendimus, comperiemus, existimasse sapientissimos Patres, Pontificem certum, & indubitatum, ut extra casum Schismatis esse solet, non esse Concilii auctoritati subiectum. Siquidem in Congregatione habita die 11. Septembris Anno 1417. communi omnium nationum calculo decisum est, quod Pa-

pa vice & canonice electus a Concilio ligari non potest, seu legibus ullis adstringi, per vim & coactionem.

PRÆLECTIO V.

Ducta a ratione momenta reliqua adversus Pontificum potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem supra Concilia referuntur.

AB Exemplis ad rationes accedunt Pontificiae auctoritatis peccatores, ut R. Pontifices Conciliorum Oecumenicorum potestati, prout possunt, subiectos ostendant. Singulas igitur perpendamus. Concilium Oecumenicum, inquit hi, universam repræsentant Ecclesiam, etque ipsamet Ecclesia in suis præcipuis partibus congregata. Ecclesia autem universa est corpus aliquod mysticum, cuius unusquisque fidelis membrum est: Est etiam mater spiritualis, cuius unusquisque fidelis filius est, ratione suscepti Baptismatis: Filius autem inferior est matre sua, & membrum omne tamen præcipuum minus est, & inferius toto suo. Itaque Romanus Pontifex aut non est Ecclesiae membrum, & filius, (quod nemo dixerit) aut Ecclesiae universalis minor est atque inferior, atque Concilio Oecumenico, quod ipsamet Ecclesia Universalis est.

Quibus reponere satis sit Ecclesiam universalem, bifariam accipi posse: Primo ut est mysticum aliquod Corpus, interno Dei Spiritu directum, forum, & alitum, sub uno Spirituali, & invisibili Capite Christo, juxta illud Apostoli: Vos autem estis Corpus Christi & membra de membris. Qua quidem ratione considerata Ecclesia, Summus Pontifex ea minor est, ut filius matris, & membrum integræ Corpore. Secundo considerari potest quatenus externe, & visibiliter regitur, patitur, eruditur Dei Verbo, & Sacramentorum administratione, sub visibili etiam capite. Sicque comparatur Ecclesia. Sacris in Litteris, gregi, familiae, exercitui, juxta ea toties inculcata, *secundum civile, & unus Pastor*. . . *Quis est fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam? Sponsa terribilis ut Castrorum acies ordinata*. . . Eoque pacto est illi R. Pontifex, & pater, & pastor, & Caput, & Dux. Adeoque illi præest, minimeque subicitur: Uti nec caput reliquo Corpori, nec pater familiae, nec Pastor gregi, nec Dux exercitus subijciuntur. Declarat id Pius II. R. P. in Bulla retractationis, data Romæ anno 1462. ubi de Summo Pontifice ita loquitur: *Esti Ecclesie filius sit propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur & sicut filiationis causa debet, ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem; ita & prelationis causa præferatur ei: ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familie*.

Alteram minus moror, quem pari fidentia jactant ex Canone *Legimus, dist. 93.* desumptam rationem, ubi habetur. *Si auctoritas queritur, Orbis major est urbe. Ubiunque fuerit Episcopus, sive Eugubii, sive Orici, ejusdem est meriti, ejusdem est & sacerdotii.* Ex quo inferant postea, auctoritatem universalis Ecclesiae toto orbe diffuse præstare auctoritate Ecclesiae Romanæ, intra Urbis muros contentæ: atque ita etiam præstare auctoritatem Concilii Oecumenici auctoritate R. Pontificis. Nam dictum illud ex D. Augustino petium perperam præsentem controversiæ accomodatur. Cum de disciplina jejunii Sabbatici, toto orbe præter Urbem Romam, servari soliti dictum sit.

Quin & illud addiderim, Orbem majorem esse Urbe in ferendo judicio, si non modo auctoritas & potestas, divinique Spiritus assentientia spectetur

sed insuper Conciliorum vis, nec non etiam definitum, & judicium numerus. Totus enim Ecclesiasticus Orbis, qui in Concilio Oecumenico continetur, sola sede Apostolica seu Romana Ecclesia latius diffunditur.

Eadem plane via solum habes momentum alterum a ratione petitum, quo perinde incautus illud adverte sententia vindices, dum ajunt: *Ratione naturali notum est, totum sua parte majus esse: Concilium Oecumenicum totum quoddam morale, ac mysticum est, cujus Pontifex pars est, tamen præcipua: igitur Concilium Oecumenicum Romano Pontifici majus est, adeoque est illi potestate atque auctoritate superius.* Juxta vulgare prologium, orbis major est urbe. Ludus hic est nugacissimus. Quamquam enim Concilium, de quo agimus, totum morale ac mysticum re ipsa sit, cujus est pars præcipua Romanus Pontifex; de eo tamen toto disputamus, ut est a parte illa præcipua sejunctum atque distinctum; uti dum dicimus ex. gr. Concilium Chalcedonense, totum illud politicum Sacrum, & Ecclesiasticum fuisse a Leone I. coactum; totum quidem dicimus, cujus pars præcipua fuit Leo ipse Romanus Pontifex; illam tamen præcipuam partem non intelligimus fuisse a Leone coactam; cum ille se ipsum in Concilium non coegerit.

Potestatem nos ratiocinatione conveniunt Adversarii, ut tutiore securioreque, in hujus controversiæ Tractatione, partem amplexi se nobis ostendant. Sit, inquit illi, si superis placet, Romanus Pontifex falli, & fallere nescius, fidei tamen dogma non est, esse illum infallibilem, sed probabilior ut ut maxime Theologorum aliquorum & Jusperitorum opinio: e contra vero fidei dogma est, Concilium infallibile esse. Igitur Concilii auctoritas Pontificis auctoritati anteponenda est, tanquam certior atque securior, imo uti prorsus indubitata.

Argute quidem atque subtiliter disputatum? Sed nihil ad rem. Agimus nos in presenti de Concilio, præciso, non computato Pontifice. Porro fidei dogma non est, Concilium præciso Pontifice, esse infallibile; saltem dum certus in Ecclesia Pontifex est: quia tunc Concilium universam non repræsentat Ecclesiam, cui Christus indeficientiam adpromisit.

Quid ni quoque dicamus: Indeficientiam in fide nihil facere ad superioritatem seu eminentiam auctoritatis, & potestatis in Ecclesiæ regimine; quasi vero non possit etiam, qui in fide indeficientis est, ei subesse qui forte defectibilis esset. Patet id exemplo D. Joannis Evangelistæ, qui tamen infallibilis esset in fide, ex speciali privilegio universis Apostolis concesso per illapsum Spiritus S. Lino tamen & Cleo, D. Petri in Ecclesiæ principatu Successoribus, quorum tempore supervixit dilectus Apostolus, subiciebatur. Imo usque adeo tunc supernaturaliter infallibilis erat dilectus Apostolus, ut libros etiam Canonicos scriberet; (Apocalypsum nimirum & Evangelium) quos nec Linus ipse, nec Cleus, quibus ille in universalis Ecclesiæ regimine suberat, scribere potuissent. Esto ergo fidei dogma sit, Concilium infallibile esse, nihil tamen obest, quominus R. Pontifici subesse possit, auctoritate ac potestate.

Neque obest si dixerint importuni censores, nonnullas Academias Decretis suis pronunciasse, R. Pontifices Concilii Generalibus esse subiectos. Videlicet Colonensem, in Tractatu de Potestate Papa & Concilii, ad Theodorisum Colonensem Archiepiscopum. Viennensem, in Tractatu de Consultationem Electorum Imperii. Herfordiensem, in Tractatu super Unione & Neutralitate Principum Electorum. Cracoviensem, in Tractatu de Auctoritate

Sacro-

Sacrorum Conciliorum, Ecclesiam universalem repræsentantium, ad Vladislavum Poloniam, & Ungariorum Regem. Cum enim occasione grassantis tunc Schismatis, ea responsa a laudatis Academicis data sint; planum est ea non nisi de tempore Schismatis esse intelligenda, maxime cum Concilii Constantiensis & Basileensis decreta laudent, quorum auctoritate nituntur.

Opponi fortasse posset auctoritas Cardinalis a Lotharingi in Epistola data ad Joannem Britonem suum in Curia Romana Procuratorem, dum in Concilio Tridentino de Romani Pontificis titulis ageretur; Num scilicet in universam Ecclesiam auctoritatem habere dicendum esset, quemadmodum in Concilio Florentino, seu potius in Decreto pronatione Armenorum, dictum fuerat; Ego, scribat Lotharingus, negare non possum, quin Gallus sit, & Parisiensis Academiae alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur; & qui docent ibi contrarium, tanquam heretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus suis partibus generale habetur: Basileense in auctoritate admittitur: Florentinum perinde legitimum & generale non reputatur: Atque idcirco Galli de Vita potius, quam de Sententia decederent.

Na tu queso nimia simplicitate bonus, qui exaggeratis illis Lotharingi verbis illud tibi tam facile patet? Certe quamquam negari non possit Academiam Parisiensem, aut certe Doctorum illius partem plurimam, ab avita doctrina, de Romanorum Pontificum, supra Concilia etiam Oecumenica, præstantia atque auctoritate, deflexisse, jam tunc a Concilio Constantiensis, & Basileensis temporibus, & in oppositum propendisse magis: falsum tamen est, Theologos illos Parisienses, sententiam, quam tunc primum amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a quo quicumque defleat, tanquam heretici notentur. Falsum perinde est, Concilium Florentinum per legitimum, & generale in Gallis non haberi. Unde & hanc ipsam Cardinalis Lotharingi hallucinationem nervose confutat Natalis Alexander *Dist. 10. in Hist. Eccles. Sacul. 15. & 16. Art. 1. num. 6.* quamquam sit iste hac in parte R. Pontificibus parum propitius; quare aut ea quæ jactatur Cardinalis a Lotharingo ad Joannem Britonem Epistolam supposititia est ac plane scilicet; aut de nimio excessu, in exaggeranda Parisiensis Academiae Sententia, convincitur vir alias omni laude dignissimus.

Consentium universi, fateturque Innocentius III. *Serm. 2. de Consecratione Pontificis*, Pontificem R. posse ab Ecclesia, seu a Concilio generali deponi, si peccaret in fidem. Igitur Concilium superiorem in illum habet auctoritatem.

Respondeo primo ex dictis in superiori disputatione, Pontificem in fide peccare duntaxat posse, uti privatum doctorem, non ut Pontificem. Ex quo profecto sequitur, Concilium, a quo eo in casu deponi potest, in illum auctoritatem exercere, eoque superius esse, ut privatus est Doctor, non ut Pontifex. Ad eum sane modum, quo Pontifex sacram exomologesim faciens, & absolutionem Sacramentalem a privato Sacerdote suscipiens, ei profecto subicitur ut est homo, quia peccavit ut homo; quamquam sit illi multis titulis superior, ut est Pontifex.

Respondeo secundo: Pontificem incidentem in hæresim, delinere ex hoc ipso Pontificem esse: cum hoc ipso delinat esse membrum Ecclesiae, atque ita sua ipsius hæresi, a Pontificatu deponitur: eidemque hæresim profecto renunciare censetur. Quapropter in rigore loquendo, non eum tunc deponit Ecclesia, seu Concilium Oecumenicum; sed illum sua ipsius hæresi depositum esse declarat.

Respondeo tertio: Eo in casu Pontifex, ratio-

ne delicti infidelitatis subicit se Concilio, cui aliunde non subicitur absolute: quod sexcentis exemplis sit manifestum. Nihil itaque vetat, Pontificem per se quidem & absolute Concilio Oecumenico superiori; ratione tamen hæresis, (quæ in Ecclesiæ Capite, omniumque fidelium Pastore, Doctore atque Magistro, delictum est omnium maximum) Concilio Oecumenico subici ad iudicium subeundum. Ut & tunc locum habeat Innocentii III. R. P. laudatum sæpius effatum: *In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis Deum solum iudicem habeam, propter solam peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.*

PRÆLECTIO VI.

Num Romani Pontifices, & Concilia Oecumenica infallibilitatis privilegio gaudeant, ubi de factis doctrinalibus iudicium ferant; de quibus nihil Sacris in Litteris, nihil in divinis Traditionibus revelatum sit, disputatur.

Quamquam multa nimis, de R. Pontificum Sacrorumque Conciliorum indeficientia disputavimus, bi de fidei morumque questionibus iudicium faciunt: Nondum tamen amplum illud Theologicæ disputationis argumentum exhaustimus. Sed alterum periculosioris alex superest inquirendum: num perinde indeficientia seu infallibilitatis privilegio gaudeant, ubi de factis doctrinalibus iudicium ferunt; de quibus nihil Sacris in Litteris, nihil in divinis Traditionibus revelatum est?

Ut porro recta mente percipiat studiosa Juventus, quo volvatur cardine difficultas, in hac salebrosa controversia, quam modo pro officii parte fumimus agitandam; illud ante omnia observet, oportet: facta de quibus quandoque iudicium facit Ecclesia, est de iis nihil in verbo Dei traditum habeamus, duplicis generis esse. Alia nempe historica seu personalia dicuntur, alia dogmatica seu doctrinalia nuncupantur, ac etiam textualia; priora dicuntur ea, quibus res aliqua gesta, nude ac simpliciter referuntur: ut quod Constantinus M. fuerit Nicomediæ baptizatus, non Romæ; in quibus certe factis iudicandis ac definiendis, nemo prudens Romanum Pontificem, totamque Ecclesiam dixerit inerrabilem, ac falli nesciam. Alia dicuntur ea, quibus dogma aliquod, de quo jam certissime constat, in scripto aliquo seu textu contineri declaratur. Ut dum in Epistolis Honorii R. Pontificis ad Sergium Constantinopolitanaum Episcopum, Monothelitarum error dicitur contineri. Unde facta hujusmodi doctrinalia dicuntur, non dogmata ipsa: quia tunc, non jam de dogmate ipso quaritur, erroneum ne sit, an orthodoxum; sed de sola dogmatis attributione, huic vel illi scriptori; seu contextui facta, hoc est, an in eo, vel isto contineatur scripto, vel libro, dogma illud, quod alias liquet esse seu hæreticum, seu forte orthodoxum. Sed & illa facta dogmatica, quibus scilicet dogma aliquod scripto culpam attribuitur, duplicis adhuc generis distinguuntur: alia sunt per se patentia, & ab omnibus agnita; ut quod error de figurali duntaxat corporis Christi presentia in Sacramento Eucharistiæ, in Calvinii Institutionibus contineatur, quod certe a nemine negatum est unquam; alia subobscura sunt, varisque difficultatibus obsita, atque hinc inde inter Theologos disputata; ut quod in Epistolis Honorii, Monothelitarum error contineatur: qua de re controversatur apud Eruditos.

De

De his ergo postremi generis factis, ut vocant, doctrinalibus, textualibus, subofcuris atque recentibus, questio nobis est hodie, eritqueinceps, num in iis dirimendis iudicandisque supernaturalis indeficientiæ privilegio polleat Ecclesia; habeatque ad hæc ipsa dijudicanda adpromissam sibi Spiritus S. assistentiam indefectibilem, qualem habet in iudicandis questionibus fidei? Qua in re, negantem partem amplector, nullumque huiusmodi privilegium agnosco: imo & Romanos Pontifices & Concilia Oecumenica, errori ac deceptioni obnoxia puto, ubi de factis doctrinalibus subofcuris agitur, e sacro etiam tribunali iudicandis, ac definiendis.

Sic sane summa mecum consensione definiunt Cardinales hæc postrema ætate doctissimi, iisdemque Pontificia auctoritatis assertores acerrimi; Baronius in *Annalibus ad annum 681*. Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pont. Cap. 2.* Pallavicinus *lib. 7. Hist. Concil. Trid. C. 14.* Turcremata *lib. 2. de Ecclesia C. 95.*, Jacobarius, Laurea, Norisius; alique omnium nationum & ordinum Theologi iurumque periti, qui etiam (quod notandum magis) nulla meliori via, RR. Pontificum, Conciliorumque, in fidei dogmatibus iudicandis, indeficientiam propugnant; quam concessa illorum in factis dogmaticis dirimendis, aberratione, ac deceptione. Quod ut hodie planum faciam, & extra omnem disputationis aleam ponam, tripliciter genere momentorum. Primo quidem ratione Theologica: tum testimonio Patrum atque Pontificum; postremo productis Romanorum Pontificum & Conciliorum exemplis, iisque non paucis, quæ in factis doctrinalibus definiendis, a vero longius aberrarunt.

Ratio prima decretoria hæc esto. In iis errare possunt Romani Pontifices, & Sacra Concilia, in quibus dijudicandis, regulis infallibilibus non nituntur: huiusmodi porro regulis non nituntur RR. Pontifices Sacraque Concilia, ubi de dijudicandis factis doctrinalibus agitur. Sunt enim regulæ illæ binæ duntaxat, Scriptura scilicet, & Traditio: quæ licet ad fidei dogmata definienda plurimum valeant, ad facta tamen dogmatica, maxime vero recentia & subofcura dijudicanda, nihil plane suffragantur: Cum ne minimum quidem eorum factorum vestigium extet Sacris in Litteris, divinaque Traditione.

Contingunt qui contra sentiunt, ad divinam, ut ipsi loquuntur, assistentiam, quæ RR. Pontificibus Sacrisque Conciliis semper adit, ubi etiam Sacrarum Scripturarum & Traditionum præsidia defunt, ut ea quoque facta doctrinalia, indeficienti iudicio dequirere possint. *Eccæ ego vobiscum sum &c.*

Verum suffragium illud præcludere non est admodum operosum. Primo, quia eam Christi D. promissionem, de infallibili assistentia Spiritus Sancti sic semper intellexere Ecclesie Patres, ut solum extendatur ad ea, quæ sunt fidei definienda, & ad rectam sanamque Sacrarum Scripturarum divinarumque Traditionum intelligentiam pendeant.

Secundo. Ea infallibilis Spiritus S. assistentia præfata duntaxat debet in iis ferendis iudiciis, quæ sunt ad publicum religionis & fidei bonum necessaria.

Tertio. Si tam liberaliter fingitur, infallibilis illa Spiritus Sancti assistentia, in quibuscumque Ecclesie iudiciis, licet pariter Romanos Pontifices, & Sacra Concilia, infallibilia iactare, in definiendis factis simplicibus, ac etiam mere personalibus.

Quarto. Licebit pariter affirmare, posse RR. Pontifices Sacraque Concilia, nonnulla fidei dog-

mata definire, quorum nullum extabit Sacris in Litteris divinisque Traditionibus fundamentum. Quod enim ex speciali Spiritus S. assistentia definitum iactabitur, non poterit non esse infallibiliter definitum. Quibus ergo niteretur Ecclesia regulis ad huiusmodi facta dijudicanda? Regulis critica seu doctrinæ & prudentiæ humanæ.

Ratio postea Conclusionis altera hæc esto, nil minus efficax, ac decretoria. Nonnulla contingere possunt facta dogmatica, in quibus nil nisi alienis oculis vident Romani Pontifices: Ut si de scripto aliquo agatur, peregrina lingua exarato, puta Hebraica, Arabica, Sclavonica, Indica, Sinica, Tartarica; quarum certe notitiam nullam habent R. Pontifices, totaque Emin. Cardinalium Senatus. De eo certe scripto iudicium ferre non poterunt, nisi ex Viri alicujus, qui linguas illas probe calleat, interpretatione, cuius beneficio scripti huius significatum intelligant. Is vero interpretres adhibitus, seu ignorantia, seu dolo ac fraude fallere Pontificem poterit. Huius ergo de eo scripto iudicium erroris erit obnoxium.

Neque vero reponi potest, nullius in Ecclesia necessitatis esse iudicium huiusmodi de eo facto dogmatico, quod ex peregrinæ linguæ notitia pendeat: atque ita nil mirum si in eo dijudicando possit R. Pontifex aberrare: Non ita tamen in factis cæteris, quorum definitio summa est in Ecclesia necessitatis.

Quasi vero? Imo longe maioris necessitatis in Ecclesia videtur esse aliquando definitio facti dogmatici, ex peregrinæ linguæ notitia pendens, quam vel ipsius Ianseniani facti definitio, de quo tot, ac tantæ ætate nostra excitata sunt turbæ.

Sed jam ad SS. Patrum Romanorumque Pontificum suffragia veniamus; qui lata de factis doctrinalibus iudicia, erroris fuisse obnoxia facti sunt, atque ita posse illa retractari & emendari censuerunt; imo retractarunt ipsimet ac emendarunt aliquando.

De facto doctrinali iudicium fecere sæculo quarto Concilium generale Sardicense, & Julius I. Rom. Pont. in causa Marcelli Ancyranus Episcopi. Cum enim Eusebius Cæsariensis Episcopus Marcellum hæreses Sabellianæ accusasset, ejusque librum *De subiectione adversus Aserium*, ad Concilium Sardicense iudicium, tanquam eo errore infectum, traduxisset; Eusebius accusationem dolosam pronuntiavit Sardicense Concilium; & Marcelli fidem, libro citato contentam, bonam, & rectam esse declaravit in Epistola Synodica. Idem quoque Julius I. R. P. pronuntiavit, dum ad ipsum causa illa delata est; Marcellumque eo in libro erroris Sabelliani purum dixit ac declaravit. Nichilofcius S. Basilus *Epist. 52. ad Anastasium*, S. Joannes Chrysof. *Hom. 2. in Epist. ad Hebræos*, Theodoretus *lib. 1. Hereticarum fabularum Cap. 10.* Marius Mercator *ad 12. Anathematismum Nestorii*, Marius Victorinus *lib. 1. adversus Arium* nullam iudicia, a Concilio Sardicensi, & Julio I. lati rationem habuere, Marcellumque Ancyranum, tanquam hæreticum Sabellianum traduxerunt, totisque viribus oppugnarunt. Quod idem fecere postrema ætate Card. Baronius *ad annum 374. Petavii lib. 1. de Pœnit. Cap. 7.* faciuntque frequenter Viri eruditissimi, Marcellumque Ancyranum Hæreticis Sabellianis accensent. Adeo scilicet Concilium Sardicense & Julius I. R. P. in facto illo dogmatico dijudicando, (in quo de sensu libri a Marcello conscripti reteneo agebatur) errasse censuerunt Ecclesie Patres, censentque quotidie Viri ætate nostra longe doctissimi.

Ad hæc: Ecclesie Patres, Romanique Pontifices,

ces, iudicia de factis dogmaticis, in Conciliis etiam Oecumenicis lata, retractari subinde, refigi, recognosci, atque ad trutinam reculari posse declarant. Maxime vero Leo Magnus *Epist. ad Maximum Antiochenum*, Gregorius pariter Magnus *lib. 1. Dialog. Cap. 4.* Pelagius I. *Epist. 12. ad Childericum Regem. Leo 4. R. P. Cap. 11. incompetenter Caus. 2. quest. 7.* Alexander III. *Cap. 11. si quando, de Rescriptis*; Innocentius III. *Cap. a nobis, de Sententia excommunic.* Ut quid porro retractari iudicia illa possunt, ac secundo ad trutinam revocari, nisi quia errori subsesse potuerunt? Idcirco enim questiones de fide in Conciliis Oecumenicis semel decise retractari, ac iudicari secundo non possunt, quod in iis iudicandis errare Sacra Concilia non possunt. Quod diserte confirmat Augustinus *lib. 2. de Bapt. Cap. 3. Plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendantur; cum aliquo experimento verum aperitur, quod Clausum erat, & cognoscitur, quod latebat*: Quod in iudicio de factis dogmaticis maxime contingit. Accedit in proposita questionis confirmationem locupletissimum Adriani VI. testimonium, qui Romanorum Pontificum in factis dogmaticis iudicandis fallibilitatem agnoscens, in Instructione data Cheregato, suo ad Germaniam Principes Nuncio; in qua Lutherum audiri secundo posse, declaravit his verbis: *Fatemur ei defensionem negari non debere, in his que facti sunt, id est, utrum talia dixerit, nec ne; Utrum predicaverit hoc vel illa, scripserit nec ne; Quæ tamen facta dogmatica, fuerant antea a Leone X. definita, in celebri illa articulatione Martini Lutheri damnatione. Alterum probationis genus, ab exemplis petitur, lectione altera prosequemur: & quam sæpe Pontifices, quam sæpe sacra Concilia, in factis Dogmaticis iudicandis erraverint, ostendemus.*

PRÆLECTIO VII.

Hæc eadem sententia multis exemplis confirmatur.

Ratione hæcenus & auctoritate pugnabimus, ut Romanos Pontifices & Sacra Concilia, in dijudicandis factis doctrinalibus errare posse probaremus. Exemplis agendum est modo, quibus probatum fiet, non solum posse R. Pontifices sacrosque Episcoporum conventus in factis dijudicandis, errare, verum etiam errasse re ipsa. Quod erit probationis genus, omnium efficacissimum, & subiecta omnium oculis demonstratio.

Immensus fuerim, si velim universa, quæ sacris feruntur historiis errorum istorum exempla, in medium asserere; pauca tamen ex multis selegam, atque illa maxime, quæ a nemine possunt in dubium revocari.

Primum, illudque celeberrimum accidit admissi erroris exemplum in causa trium Capitulorum; in qua secum invicem pugnabant Concilia duo Oecumenica, Chalcedonense scilicet & Constantinopolitanum tertium; imo & secum ipso pugnabat Vigilus R. Pontifex in contraria studia distractus; ubi de trium Capitulorum sensu dijudicando questio vertebatur. Hæc enim ut erroris pura & illibata defendit primum Vigilus; eo maxime titulo, quod in Concilio Chalcedonensi lecta illa fuissent, nec tamen ab iis Patribus reprobata. Postmodum eadem illa scripta damnavit, sub conditione saltem, salva scilicet auctoritate Concilii Chalcedonensis. Postmodum tandem Justiniani Imperatoris suam illeclus damnavit, ut plena erroris atque perfidia post quinti Concilii generalis celebrationem.

Alterum erroris exemplum in facto doctrinali dijudicando sese offert in causa Honorii R. Pontificis Tom. IV.

tificis, qui datus ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum Epistolis imprudenti Oeconomia, indistincto unius aut duplicis voluntatis silentio, hæresi Monothelitarum oblique favisse convincitur, eandemque uti debuerat non illico repræfuisse. Quæ de causa in Actis Concilii sexti Oecumenici *actione 13.* Anathema illi perinde dictum est, ac cæteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo: quod & in Actis septimæ & octavæ Synodi confirmatum est. Quin etiam Leo II. Successor ejus in Epistola ad Constantinianum Imperatorem, eundem inculcat, quod *fidem immaculatam subvertere conatus sit*.

Tertium exemplum videre fuit in causa S. Procli Patriarchæ Constantinopolitani, Maxentii Archimandritæ, & Scithiæ Monachorum. Cum enim propositionem hanc in suis fidei professionibus protulissent. *Unus de Trinitate passus & Crucifixus est carne*: propositionem hanc Hormidas R. Pontifex damnavit ut hæreticam; Joannes vero huius nominis secundus, Romanus & ipse Pontifex Catholicam esse definiit: Non alia certe de causa, quam quod auctorum illorum sensum non perinde Pontifices intellexerit. Atque adeo alteruter in facto dogmatico iudicando, seu in certo auctorum illorum sensu reteneo, aberravit. Quatenus scilicet Hormidas propositionem illam, assertam ab iis auctoribus existimavit, in sensu formali, atque reduplicante, ut viri de Schola loquuntur, atque ita damnavit: Christus enim passus mortuusque non est formaliter & reduplicative, ut Deus, sed, ut una de Trinitate persona: Joannes vero assertam ab iis propositionem existimavit, in sensu materiali, & specificante, ut Schola loquitur, & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicam declaravit: quia secunda Trinitatis persona, naturam illam humanam assumpsit, quæ & passa & mortua est.

Quartum huius generis erroris exemplum dedit Zozimus Pontifex, dum Cœlestii fidei professionem de Divina gratia, erroris puram, & orthodoxam pronuntiavit, illiusque delatores & accusatores Erotem Arelatensem, & Lazarum Aquensem Episcopos, tanquam malignos Ecclesie perturbatores pessimis modis habuit. Non alia profecto de causa, quam quod dolosam loquendi formulam, a Cœlestino, in ea fidei professione usurpatam, minus bene intellexerit; & gratie nomine, quam ille videbatur agnoscere, veram internamque gratiam significari existimavit; quam illi nonnulli gratiam externam, legem nimirum & Sanctorum exempla intelligebant. Quare nil plane dubitandum, quin ea in occasione, errorem in facto dogmatico dijudicando seu in Cœlestii sensu interno secundo, Zozimus admiserit. A quo tamen errore subinde resipuit, Africanorum Episcoporum litteris commonefactus.

Non abimile quidpiam Zephirino R. P. contigerat cadente II. Ecclesie sæculo, dum Moutani *assiduum Orthodoxæ fidei professionem* sibi exhibitam adeo probavit, ut ob id formatas litteras ei concesserit, pacemque per Phrigiam, & Asiam Sæctariis ejus indulserit. Quas tamen litteras, tanquam subreptitæ concessas postmodum revocavit, postquam Praxeas fraudem ipsi factam detexit. *Cassianus pag. 19.*

Quintum erroris specimen præbuit Benedictus II. R. P. in causa S. Juliani Pomerii Archiepiscopi Toletani. Cum enim duas propositiones ex ejus scriptis excerptas damnasset primum, velut erroneas, & Apolliticis Constitutionibus repugnantes; eandem tamen subinde probavit, ut Orthodoxas: postquam eas S. Julianus libello apologetico defendisset (Factum refert Rodericus Tol. Arch. *lib. 3. de rebus Hisp. c. 14.*) & SS. Patrum,

rum, Augustini, Cyrilli, Ambrosii, Fulgentii Doctrina consonas demonstrasset: quod idem Toletana Synodi decima quinta Patres suo quoque suffragio confirmaverant; qua in re alterutrum factendum est: Aut Benedictum R. P. in errorem juris lapsus fuisse, si Juliani propositiones, probe intellectas, velut erroneas primo damnavit, quas postmodum orthodoxas agnovit; (quod fieri non ausim) aut certe errorem facti Dogmatici admisit, si S. Juliani sensum perperam intellexit, ejusque mentem fecus, quam veritas habeat interpretatus est, ut in eum Censuram distingeret. Ac re ipsa Patres Concilii Toletani XV. Benedictum incuriosa libri lectione fuisse deceptum declararunt.

Postremum, ut caetera mittam, erroris hujusmodi exemplum posteris dedit Innocentius VIII. Is quippe Joannem Picum Comitem Mirandulanum gravi censura perfrinxit damnavitque; quod multos publicis Theibus propugnasset errores: Quos cum postea Joannes Picus, edita apologia rite purgasset, Alexander VI. dato brevi Apostolico die 18. Julii 1403. Catholicas pronunciauit, & Joannem Picum innocentem absolvit; Nullaque haeresis specie, vel suspitione, nulla sinistra erroris nota dignum declaravit. Quo casu Pontificem alterutrum, errore juris laborasse necesse est, si Joannis Pici sensum probe intellexit; aut facti dogmatici errorem admisit, si Joannis Pici sensum perperam intellexit.

Memoria exciderat spissus error Concilii Francofordiensis, quod etsi generale non fuerit, celeberrimum tamen fuit, ex universis Episcopis Italiae, Galliae, Germaniae, praesentibus Adriani Papae Legatis celebratum. Concilium porro illud, per spissum errorem facti dogmatici, Concilii II. Niceni definitionem de colendis Sacris Imaginibus damnavit Canone II. propterea quod perperam existimavit, Nicenae Synodi Patres, eundem Sacris Imaginibus cultum deferendum sanxisse, qui Sanctissimae Trinitati deferretur: qui spissus in facto dogmatico error fuit, ex falsa Canonum Nicenorum intelligentia ortus. Quamquam enim cultum simplicis honoris ac reverentiae, Imaginibus exhibendum sanxissent Nicenae Synodi Patres; non eo tamen dementia venerant, ut supremam adorationis cultum Sanctissimae Trinitati debitum Divorum imaginibus exhibendum, decernerent.

Accedit etiam in hujusce veritatis confirmationem, factum Abbatis Joachimi, damnati in Concilio Lateranensi.

Factum sic se habet. In quarto Concilio Lateranensi Anno 1215., sub Innocentio III. Rom. P. cui scilicet interfuisse Praesules 412. *Can. 2.* damnatus est Joachimi Abbatis Tractatus de Trinitate adversus Magistrum Sententiarum editus, eaque peculiariter propositio nulla res est, quae sit Pater, Filius, & Spiritus S. nec substantia, nec essentia, nec natura. Ea tamen damnatione nihil obstant Gregorius de Laude Doctor Theologus, Abbas in Ordine S. Benedicti, Joachimi Vindicias suscepit, libro *Mirabilium Abbatis Joachimi veritas defensa* Neapoli edito anno 1660. quo vitam illius scripsit, speciatim vero pag. 281. Ubi ita praefatur, *Non intendimus defendere errorem attributum Joachimo a Concilio Lateranensi: bene tamen intendimus Joachimi innocentiam defendere, & eum a tali labe, & ignominia vindicare.* Quodque notandum magis, cum ea Gregorii Apologia ad R. Inquisitionis Tribunal delata esset, id unum in ea justum est emendari; nempe ut loco verborum illorum, *Intendimus Joachimi innocentiam defendere*, poneretur, *conabimur tamen si fieri possit Joachimum defendere.* Ita decretum die 6.

Martii 1664. ut legitur in folio correctionum libri hujus damnati donec corrigatur.

Ex iis Romanorum Pontificum, & Conciliorum exemplis, quibus alia longe plura addi possent; comperit omnibus arbitror, quod mihi hodierna praefatione probandum assumpseram: Romanos Pontifices, ac ipsa quoque Concilia Oecumenica, indeficientia privilegio minime frui, in factis dogmaticis judicandis. Ex quo profecto, illud alterum sequitur: facta dogmatica, ab Ecclesia forte judicata, sancita ac definita, ad fidem Catholicam pertinere nequaquam posse, si nihil illis praeter Ecclesiam definitionem accedat, alioque nullo, nisi Ecclesiae iudicio, atque definitione nitantur. Ratio in promptu est. Fides enim infallibili nititur fundamento. Et Ecclesia non potest novum fidei articulum condere.

PRÆLECTIO VIII.

Contrariis Argumentis occurritur.

Non admodum hodierna Praefatione desudabimus, in diluendis eorum Theologorum argumentis, qui R. Pontifices, Conciliaque Oecumenica, indeficientia privilegio gaudere contendunt, in factis dogmaticis judicandis ac definiendis. Adeo enim futilla illa sunt, ut mirari profecto sobeat, viros alios non indoctos, qui hacce postrema aetate nostra Caelum terramque moverunt, ut eam opinionem in Scholas inveherent, tam leviter disputasse. Sit ita nec ne, videamus.

En quo primum nos telo petant. Si Romanorum Pontificum, Conciliorumque iudicium, de factis dogmaticis, indeficientia omnino non esset, sed in retegendo genuino Scriptorum sensu, falli possent; liberum cuique foret, lata adversus quoscumque hereticos Ecclesiae iudicia foci facere, contemnere, repudiare; cum dubium cuique posset esse, num in retegendo damnati Scriptoris sensu, Pontifex aut Concilium aberrasset. Atque ita posset unusquisque pro arbitrio vindictae sibi sumere, & Arii, & Nestorii, & Eutichetis, adhuc etiam Lutheri atque Calvinii; eo nimirum obtentu, quod erunt haereticorum sensum, quem proscriberent, minus feliciter attingerent Sacrae illa Synodi, Romanique Pontifices, a quibus damnati illi sunt.

Quis hujus argutiae fertilitatem non videat? In quacumque enim erroris damnatione duo distinguenda veniunt: Error scilicet damnatus, & attributio erroris, huic vel illi personae facta; sensus erroneus, & erronei sensus adjudicatio huic vel illi scriptori facta: ut in Arii damnatione; aliud est negata divini Verbi consubstantialitas; aliud, quod eam consubstantialitatem negaverit Arius Presbyter Alexandrinus. In errore ipso judicando atque damnando, cum privilegio infallibilitatis gaudeant Concilia Oecumenica, Romanique Pontifices, nemo iudicium illorum ea in parte rejicere potest: Verum in attributione erroris, huic vel illi auctori facta, cum perinde privilegio indeficientia non gaudeant sacra Synodi, Romanique Pontifices, distinctione hic opus est, ut intelligamus, an Ecclesiae iudicio parere necessario debeamus ea in parte, in eadem liceat refragari. Si enim ea erroris attributio, quae infallibili Ecclesiae iudicio non constat, facti tamen notorietate aliunde constat; (quod nempe sit evidentiissimum, & a nemine unquam negatum, errorem illum ab eo vel illo fuisse defensum ac pugnatum.) Ecclesiae iudicio repugnare tunc nefas est: Non quod supernaturalis & infusa indeficientia privilegio gaudeat iudicium illud, sed

sed quod naturalis, ut ita dicam, indeficientia polleat, ob facti scilicet evidentiam adhibitamque in faciendo examine diligentiam; & quisquis huic Ecclesiae iudicio repugnaret, non haereticus quidem, sed stultus esset, & sanandus helleboro. Ut si quis Divini Verbi consubstantialitatem sanctae ac religiose professus, contrarium tamen errorem Ario, a Concilio Niceno falso tributum contenderet: aut si quis Eucharisticam Christi praesentiam sanctae & religiose professus, contrarium errorem Calvinio perperam a Concilio Tridentino ascriptum existimaret. Si autem ex adverso ea erroris attributio, quae infallibili Ecclesiae iudicio non constat, facti evidentia aliunde non constat, imo subdubia sit, & a Viris eruditis vocetur in controversiam, qui illum auctorem eo in errore versatum non esse probabiliter putent; Ecclesiae iudicio non stare licuit semper semperque licebit, servatis tamen religiose modestis legibus. Hinc viri omnium ordinum eruditi posthabito Ecclesiae iudicio de facto doctrinali Origenis, Theodori Mopsuesteni, Theodoretii, Ibae Edeseni, Honorii R. Pontificis, Maxentii Archimandrita, Joachimi Abbatis, Gottschalchi aliorumque, Apologias in illorum gratiam adornarunt; quibus illorum scripta, affectorum illis errorum pura & illibata demonstrarunt.

Alio nos arietem pulsant Ecclesiasticae in iudicandis factis doctrinalibus indeficientia vindices. Ecclesia, inquit illi, infallibilis est, in dignoscendis, iudicandisque divinis Traditionibus; hoc est, dum iudicat, quid de dogmate aliquo divinitus traditum sit. At de divinis Traditionibus (quarum scilicet illae sint) iudicare non potest, nisi de facto dogmatico iudicet; nempe quid Patres eo de dogmate, per omnia saecula fenserint, quid scripserint, iudicando; quod factum dogmaticum est. Est igitur infallibilis Ecclesia, in factis dogmaticis iudicandis.

Hunc tamen arietem dejicimus variis modis. Primo si dicamus, facta dogmatica duplicis generis esse. Alia privata sunt ac recentia, quorum certa notitia, nihil ad religionis ac fidei tutelam refert: alia sunt publica, perantiqua, quorum certa notitia, ad fidei religionisque tutelam est necessaria.

Secundo. Factum dogmaticum, de quo debet Ecclesia iudicare ut certam Traditionem agnoscat (quod scilicet Ecclesiae Patres per omnia saecula eo de dogmate scripserint atque docuerint) non esse obscurum, perplexum & involutum. Quia ad Traditionem dignoscendam, Patrum testimonia expendit ac librat clara, nitida & aperta. Nos autem de factis hic agimus doctrinalibus, obscuris, involutis variisque sensibus obnoxiiis.

Tertio. Illud idem contra ipsos argumentum posset hoc pacto retorqueri: Si Ecclesia ad dignoscendam certo traditionem deberet supernaturali indeficientia iudicare de sensu textuum D. Patrum, deberet quoque iudicare, an illi textus puri & integri ad nos usque pervenerint, quod tamen simplex factum est, in quo iudicando Ecclesiam fallibilem concedat Adversarii.

Quarto. Negamus, Ecclesiam de Divinis Traditionibus, quarum scilicet illae sint, iudicare non posse, nisi inhiro de SS. Patrum scriptis examine; quod scilicet illi eo de dogmate per omnia saecula scripserint iudicando. Quamquam enim ad Divinas traditiones retendas ac dignoscendas, magno possit esse adiumento veterum Patrum examen, eorumque doctrinae investigatio; cum sint illi praesentis traditionis testes locupletissimi; non est tamen illi Ecclesiae Catholicae absolute ac simpliciter necessarium. Imo non est id quandoque possibile, ut ex scriptis Patrum nonnullas de certis dogmatibus traditiones Divinas agnoscat, cum

Serry Tom. IV.

nonnulla saecula praeterierint, quibus nulli floruerint Patres, qui vel obiter de certis dogmatibus scripserint, quae sola tamen Divinae Traditione tenemus.

Unde ergo, inquit, novit Ecclesia fuisse dogma aliquod divinitus traditum, si id ex Patrum scriptis non accipit?

Respondeo: Id Ecclesiam ex peculiari primum Dei revelatione scire posse, affante scilicet Spiritu S. qui in ea juxta Christi Domini pollicitationem, manet in aeternum, ad fidei tutelam ac defensionem.

Secundo; ex communi fidelium conspiratione atque sententia ita se tenuisse semper, & a majoribus acceptisse profitentur.

Tertio nos momento urgent, indeficientia Ecclesiasticae vindices, ex duobus praesertim exemplis delibato. Ecclesia, ajunt illi, falli atque errare non potest, in solemnibus Divinorum Apotheosis decernenda, seu, ut ipsi loquuntur, in Canonizatione Sanctorum. Porro in ea Apotheosis decernenda, de facto quopiam Ecclesia iudicat, absque Scripturae Sacrae, Traditionisque praesidio; nempe de virtutibus a privato illo Viro exultis, patrisque miraculis; quorum nullam nisi ex hominum testimonio notitiam habet Ecclesia. Igitur in factis Doctrinalibus iudicandis, indeficientia privilegio gaudet Ecclesia; quamquam Scripturae sacrae Divinaeque traditionis praesidio, in eo ferendo iudicio, non nitatur.

Non absimiliter, subjungunt illi, Ecclesia infallibiliter iudicat, sit ne hoc vel illud Concilium Oecumenicum: E. G. Nicenum, aut Tridentinum: Sed hoc factum est, in quo iudicando nil Scripturae Sacrae, nihil Divinae Traditio suffragatur; potest ergo Ecclesia factum doctrinale infallibiliter iudicare, etsi in eo ferendo iudicio, nihil illi Scripturae Sacrae, & Divinae Traditio suffragentur.

In promptu responso est: Eo enim argumento nihil probatur, quia plus probat, quam vel ipsi velint Adversarii; facta enim illa personalia sunt, & historica, in quibus iudicandis Ecclesiam falli posse, ipsi ultro citroque faterentur adversarii.

Idecirco ad primum exemplum, de Sanctorum Canonizatione, dico, Ecclesiam ea in re decernenda, infallibilem quidem esse, non tamen infallibilitate quadam supernaturali, atque infusa, ex Divina revelatione petita, quae fidem a nobis exigat stricti nominis, sed morali duntaxat infallibilitate, partim ex facti notorietate, propter altas in processu sanctitatis probationes; partim ex peculiari Spiritus S. afflatu; qui Ecclesiae in causa tanti momenti adesse praesumitur: quae quidem moralis infallibilitas plam duntaxat ac religiosam a nobis credulitatem exposcat. Quare qui servum Dei aliquem, inter sanctos ab Ecclesia relatum, puta D. Dominicum, aut Antonium Sanctum esse negaret, irreligiosus quidem esset, & impius, non ideo tamen formaliter haereticus. Quae certa indubitataque Sententia est D. Thomae: *Quodlibet 9. Art. ult. S. Antonini 3. part. Summae. Tit. 12. Cap. 8. Gerfonii, Cajetani, Bannessii, Melchioris Cani, Driedonis, Turriani, aliorumque bene plurium quos commemorare longum esset.* In factis autem Dogmaticis iudicandis, de quibus in praesentia disputamus, neutra infallibilitate potiuntur RR. Pontifices, & Sacra Concilia; nec supernaturali infusa, nec morali: Cum nec Divina illis affulgeat revelatio, nec peculiaris praesentur illis adesse afflatus Spiritus S., nec publica facti notorietas extet: imo potius obscuritas, latebrae, variaeque hinc inde virorum eruditiorum de factis hujusmodi Sententiae circumferantur.

X y 2 Idem